



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 24. B. Thomas de Villanova Sanctorum fastis ab Alexandro VII. Papa insertus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

§. XXIV.

Sæc. XVII.
A. C. 1658.*B. Thomas de Villanova Sanctorum
fastis ab Alexandro VII.**Papa insertus.*

Cum Beatus Thomas de Villanova
in Castro Fontisplani Toletanæ
Diæcesis anno Christi millesimo qua-
dringentesimo octogesimo octavo na-
tus, atque Ordinem Eremitarum S. Au-
gustini Salmanticæ professus, in vita
præclaris eniteret virtutibus, & post
mortem crebris miraculis sanctitatem
suam testatam redderet, Alexander
VII. Pontifex hoc anno ad Philippi IV.
Hispani Regis, plurium Præsulum ac
Hispaniæ Procerum preces eundem
ritu solemniter Sanctorum Albo adscri-
psit, die prima Novembris edito desu-
per decreto Apostolico, in quo refert,
quod sancti hujus Viri virtutes & mi-
racula prævie ab Ordinario rite exa-
minata, & per Sacram Rituum Con-
gregationem approbata fuerint, & pro-
pterea Paulus V. eundem Beatorum
numero inseruerit: postquam vero duo
alia satis insignia prodigia Deus per
hunc Beatum patrauerat, reque in plu-
ribus Congregationibus diu ac mature
ponderata de horum prodigiorum ve-
ritate, cultus incremento, actorumque
valore

*Bull. magn.
Const. Alex.
VII. 55.
Tuld. Hist.
lib. 9.*

Sæc. XVII. A. C. 1658. valore iatis abunde constare cognitum erat, Alexander VII. illum ab Universali Ecclesia pro Sancto agnoscendum declaravit, ejusque festum & Officium sub ritu, ut vocant, duplici secunda classis cum octava Academiæ Complutensi, in qua Theologiæ Professores egit, ibidemque Collegium erexit, recitari indulgit. Subscribere huic Constitutioni Pontificiæ Cardinales tum Romæ agentes numero triginta tres necessarios vero sumptus pro festiva hac solemnitate ex Valentini Regno, ubi S. Thomas Archiepiscopum egit, Philippus IV. Rex suppeditavit.

§. XXV.

Alicæ ejusdem Pontificis Constitutiones.

Bull. l. a. **P**ræter hoc decretum Alexander VII. Pontifex plures adhuc edidit Constitutiones, ac primo quidem, cum ad ejus aures fuisset delatum, quod Goensium necnon in adjacentibus Insulis inter clericos & præcipue eos, penes quos Christifidelium cura & regimen erat, quædam irrepsissent corruptelæ, huic Sacræ Congregationi de propaganda Fide querelas a Goensibus delatas sedulo examinandas commisit, ac postmodum sequentia ejusdem decreta ex-
acte